

2212²²³³ TO MARGARET ROPER.

Epistolae Floridae p. 124.

K. p. 131: N. p. 1048: Lond. xxvi. 50:

LB. 1075.

Freiburg.

6 September 1529.

[Contemporary with Ep. 2211.]

ERAS. ROT. MARGARETAE ROPERAE S.

Vix villo sermone consequi queam, Margareta Ropera, Britanniae tuae decus, quantam animo meo persenserim voluptatem, quum pictor Olpeius totam familiam istam adeo feliciter expressam mihi repraesentavit vt, si coram adfuissem, non multo plus fuerim
 5 visurus. Frequenter illud apud me soleo optare, vt semel etiam ante fatalem vitae diem intueri contingat charissimam mihi sodalitatē: cui meae, qualis qualis est, vel fortunae vel gloriae bonam partem debeo, nec vllis mortalium debeo libentius. Huius voti non minimam portionem mihi praestitit ingeniosa pictoris manus.
 10 Omnes agnoui, sed neminem magis quam te. Videre mihi videbar per pulcherrimum domicilium relucentem animum multo pulchriorē. Equidem vobis omnibus istam gratulor felicitatem, sed praecipue parenti optimo.

Quo minus autem vos poeniteat studiorum vestrorum, mitto
 15 epistolam probatissimi viri, qui apud Mariam quondam Vngariae reginam, Caesaris sororem, ecclesiastae munere fungitur. Ea est cui dicaimus Viduam Christianam, quam arbitrator tibi lectam esse. Ex litteris autem intelliges quanto studio tam nobilis foemina complectatur liberalium studia litterarum. Nunc experitur
 20 illa non esse vanum quod scripsit M. Tullius, litteras in rebus secundis esse ornamento, in aduersis solatio: quanquam illa cum primis erat digna perpetua prosperitate. Caeterum quando ita sunt res mortalium vt Euripi in morem alternis vicibus affluant ac defluant, animus est aduersus omnem fortunae habitum philo-
 25 sophiae praesidiis muniendus.

Haec scripsi plusquam obrutus negociis, ad haec imbecilla valetudine. Quare tua dexteritas hoc efficiet, vt omnes tuae sorores sibi persuadeant hanc esse iustam epistolam, et non minus ad singulas quam ad te scriptam. Ornatissimae matronae Aloysiae,
 30 matri tuae, multam ex me salutem dices, eique me commendabis et amanter et diligenter. Effigiem illius, quando coram non licuit, libenter sum exosculatus. Ioanni Moro germano tuo precor omnia prospera. Verum seorsum mihi salutabis ornatissimum Roperum coniugem, tibi merito charissimum. Dominus seruet vos omnes
 35 incolumes, omniaque vestra suo omnipotenti fauore prosperare dignetur. Datum apud Friburgum Brisgoiae postrid. Non. Sept. anno M.D.XXIX.

3. Olpeinus N.

15. viri] Henckel: his letter perhaps answered Ep. 2110.

17. Viduam] See Ep. 2100.

20. Tullius] Arch. 16.

28. sorores] See. Ep. 999. 175nn.

29. Aloysiae] See Ep. 999. 177n.

32. Ioanni Moro] See Ep. 999. 175n.

33. Roperum] See Ep. 1404. 8n.